

mini admittuntur illi sunt, qui apostolum audientes, non volunt divites fieri; et si pecunias habent, non habent ad coacervandas, vel in vanitatibus consumendas, sed ad faciendum quod Spiritus sanctus dicit per os Davidis: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et debiles intelliguntur illi, qui non confidunt in virtute sua, nec in viribus suis gloriantur: cæci vero sunt illi, qui vere credunt quod non vident, præsertim de præmiis justorum et suppliciis impiorum. Qui enim certo sibi persuadent, præmia justorum vere esse maxima et sempiterna, et pœnas similiter iniquorum acerbissimas et nullum unquam finem habituras; profecto non manent terræ affixi, nec magni faciunt ea quæ sunt infra lunam, sed ibi eorum fixa sunt corda, ubi vera sunt gaudia. Denique, bene ac feliciter claudi illi sunt, et ad cœnam Domini, merito aspirare possunt, quorum pes dexter multo longior est sinistro, id est, affectus in Deum, et bona sempiterna, longe major est pede sinistro, id est, amore in carnem suam, et in bona terrena ac temporalia.

VIII. Quinam postremi e viis et sepibus vocati et intrare compulsi? Resp. primo, esse gentiles longe a Judæa dissitos, et in ultimis terræ angulis hærentes; qui fere postremis temporibus conversi primum sunt, uti septentrionales populi, ad oceanum Germanicum præsertim siti: et sæculo elapso, qui in India, China, Japonia, et in novo orbe seu America degunt. Degabant hi in viis publicis et sepibus, quia populi erant maxime barbari a cultorum hominum consuetudine remoti, omnique cultura destituti, quasi feræ in agris et silvis degentes.

Secundo, ex mente S. Augustini, epist. L.

tom. II. et serm. LIII. de verb. Dom. significant hæreticos, qui fere post gentilium conversionem exorti sunt, et sepes seu divisiones quæsierunt ac schismata. Atque hos cogendes monet parabola: quod fit primo, præclaris virtutum exemplis, verba enim vocant; exempla suaviter cogunt; secundo, terroris incussione, comminatione judicii et gehennæ: tertio, Ecclesiæ censuris et gladio imperatoris, quando præsertim infestant catholicos et turbant Ecclesiæ pacem: *Mala enim, quæ nos in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt*, inquit D. Gregorius, hom. XXXVI. in evang. Ea vero compulsio intelligenda, quæ vim libero arbitrio non inferat, sed quæ serio, ardentem et instanter hominem excitet ac promoveat, ut tandem libere assentiatur: *Foris inveniatur necessitas, nascatur intus voluntas*, inquit S. Augustinus, ser. LIII. cit.

Porro qui huic tripliei vocationi obedire renuunt, audient aliquando terribilem illam parabolæ conclusionem: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. Tunc: Convertentur ad vespem* (finito scilicet præsentis vitæ die, vel in agone) *et famem patientur ut canes, et circumibunt civitatem*, Ps. LVIII. civitatem, inquam, Dei, si forte micæ illius cœnæ obtinere possint, clamantes cum fatuis virginibus: *Domine, Domine, aperi nobis*; sed frustra: *Non gustabunt cœnam*, non micam, non guttam consolationis inde obtinebunt. Et quid erit excludi a cœlesti convivio? Et quid pati famem æternam? Itaque convertamur nunc, dum dies est, ne aliquando sero nimis cum canibus circumire debeamus civitatem; sed per patentem portam ingrediamur admissi ad cœnam Domini, qua æternum satiemur.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

ADINVENTIONES CHRISTI DOMINI IN S. EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE.

- I. Est inventio ad stabiliendam Dei Ecclesiam. — II. Est inventio partiendi se inter Ecclesiam triumphantem et militantem. — III. Est adinventio ad coercendos a peccatis homines, et ab admissis expurgandos. — IV. Est adinventio ad peccatores Christo devinciendos. — V. Est adinventio compellendi fideles sine vi ad cœnam Agni.

THEMA.

Notas facite in populis adinventiones ejus.

I. Paralip. XVI.

Quando David rex intulit arcam fœderis in

Jerusalem cum solemnî pompa (in qua etiam ipse rex, præ gaudio saltabat coram arca) et seposuit in tabernaculo, quod tetenderat ei, tunc obtulit holocausta et constituit omnis generis musicos et cantores, qui variis instrumentis et suavi melodia canerent jugiter ante arcam, inter eos vero principem cantorum Asaph et fratres ejus, qui inchoabant carmen suum his verbis: *Confitemini Domino et invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: cantate ei et psallite ei, et narrate omnia mirabilia ejus*, I. Paralip. XVI. Sed hic scire cuperem quæ tantæ causæ lætitiæ, quæ tantæ solemnitatis, propter arcam unam ligneam, illatam civitati? Quæ sunt adinventiones illæ, quæ mirabilia in hac arca? Aliam profecto ego

non invenio nisi quod existimem Davidem velut prophetam vidisse et expendisse in arca illa typica veram aliam arcam, omni laude et veneratione dignam, quam nos his diebus cum solemnitate circumducimus per plateas: corpus, inquam, Salvatoris nostri, quo pro nobis immolato fœdus sempiternum inter Deum et genus humanum sancitum atque erectum est. In hac arca cernere licet miras et stupendas Dei adinventiones omniaque mirabilia: ut proinde jure meritissimo quidquid ad honorem illius excogitare possumus, nunc exhibeamus. Quod ut impensius fiat, consideremus nunc adinventiones illas.

I. Egregia inventio est ad conservandam, muniendam et stabiliendam in vigore suo Ecclesiam. Vulgata est aquilæ industria, et quasi adinventio, qua nidum et pullos suos defendit seu contra ventos, seu contra venena lapide ætite, ex Plinio et aliis, necnon ex Sancto Hieronymo, in capite LXV. Isaia, ubi addit: *Si hoc verum est, recte affectus Dei in sua creatura aquilis comparatus est, qui omni custodia protegit liberos suos, ut draco et coluber antiquus, diabolus et Satanas obrepit novellis fœtibus, ut ad omnem lapidem, qui ponitur in fundamentis Sion, omnes adversariorum frangantur insidiæ*, alludens, ad locum Isaia XXVIII. *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, etc.* Ætites continet intra se minorem alium lapidem, qui auditur quidem resonans, sed non videtur. Ita eucharistia foris referens speciem panis materialis et visibilis, continet intra se panem, qui non videtur oculo, sed auditur per fidem. Hanc ergo ponit Christus in Ecclesia sua velut præsidium et munimen fortissimum ad ejus conservationem. Testem imprimis adduco Timotheum presbyterum Hierosolymitanum, qui in orat. de propheta Simeon ait: *Divinæ ac mysticæ mensæ operam demus: per quam mundus firmatur, per quam terrarum orbis consistit, per quam regnum conservatur, per quam Ecclesia augetur, per quam Deus sanctificatur*. In hujus rei symbolum manna cœlo lapsum instar foris jacuit per circuitum castrorum Israeliticorum, muniens ea instar mœnium aut vallis, Exod. XVI. vers. XIII. Rursum ex accepto gustato roborati sunt Hebræi ad præliandum ac devincendum Amalec, hostem primum ac potentissimum, Exod. XVII. Sic enim Ecclesia beneficio eucharistiæ munitur contra hostes imprimis invisibiles, dæmones; qui per eam terrentur ac fugantur. Unde Psalm. XXII. propheticæ de illa dicitur: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant nos*. Accedit S. Cyprianus, ib. 1. epist. II. « Cum ad hoc fiat eucharistia, inquit, ut possit, accipientibus esse tutela, quos

lutos esse contra adversarium volumus, minimento Dominicæ saturitatis armamus. » Deinde, contra visibiles, qui non semel debellati a fidelibus s. eucharistia ante pugnam communitis, ut patet ex historiis; ac ne procul eamus, habemus exemplum de Germanis nostris in vita S. Udalrici, qui Augustæ obsessus ab immensa Hungarorum multitudine, præsidarios suo similes ante pugnam sacro viatico omnes recreavit, animavitque illis Psal. XXII. verbis: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, effectitque ut barbari insultum facere timerent, et adventu Othonis imp. terri ab oppugnatione desisterent, occurrentesque Othoni cæderentur et fugarentur, in vita Sancti Udalrici, 2. julii. Quinetiam in defectu hujus sacri pabuli solum ejus symbolum militibus distributum, vires et victoriam eis comparavit, uti refert Æn. Sylvius, l. III. comment. in Panorm. c. L. his verbis: « Henricus rex Angliæ, regis hujus, qui nunc regnat pater, circumventus ab exercitu Gallorum regis, quæcumque obtinisset in Gallia admittere voluit, si cum suis incolumis abire permetteretur. Negantibus Gallis nocte subsecuta vocatis centurionibus et decanis militum: Neque fugere, inquit, commilitones, neque ex hostibus incolumitatem consequi possumus, quamvis cedere regno Galliæ voluerimus, sola nos armatui possunt. Non est cur numerosum, exercitum formidetis. Justam causam justus Deus adjuvabit. Ite et alter alteri peccata vestra confitemini, paucillumque terræ ob memoriam sacramenti eucharistiæ Salvatoris alter alteri porrigite. Crastina die liberabit nos Dominus ex manibus inimicorum. Sic dimissa concione, peractis quoque quæ jusserat, curare milites corpora præcipit. Sequenti die ut primum lux orta est commisso prælio, incredibile dictu, octo millia suorum, sexaginta millia hostium fudere; cæsa ingens turba, nobilitas Galliæ, prope capta, paucos fuga servavit. Eaque potissimum die Gallorum opes fregit. » Et quid mirum? Si enim figura s. eucharistiæ in v. t. potuit delere innumerabilem Madianitarum exercitum; cur non etiam symbolum aliquod ejusdem ad memoriam ejus devote susceptum? Legimus autem Judic. VII. visum in somnio militi cuidam panem subcinericium devolutum in castra Madian, ea percussisse quæ subvertisset, et terræ funditus cœquasse, quo quidem ad litteram designatus fuit Gedeon, qui parva manu postero die Madianitarum fugavit exercitum; mystice vero s. eucharistia utique panis verus, vitam animæ tribuens, et castra hostium Ecclesiæ evertens.

Præterea sicut ætite lapide firmatur etiam

nidus aquilæ; ita et Ecclesia per eucharistiam conservatur in suo fervore et nitore; quæ si absque eo lapide esset, langueret, et deficeret in virtutum progressu; nulla aut exigua foret cura conscientie expurgandæ et confessionis rite faciendæ; sorderent undique templa et nihilo plus venerationis, quam stabula vel profanæ domus haberent, quemadmodum videre est apud Lutheranos et Calvinistas, qui adeo non ornant aut venerantur ea, ut nec pileum depnant, cum ea ingrediuntur, nec magis quam horrea excolant. Id quod etiam apud Judæos tandem fieri cœpit, ut in templo suo venderent oves et boves, etc. adeoque ex illo speluncam latronum facerent. Cadente vero templorum cultu et reverentia, caderet consequenter omnis etiam pietas et religio. Absque s. eucharistia esset quod haberemus sacrificium ad placandum Deum? Quod purgantes animæ expectarent suffragium? Quod moribundi haberent viaticum? Quod miseri et afflicti reperirent solatium? Quem peccatores haberent Dei timorem? Quod nos haberemus passionis Dominicæ memoriale? Quod referremus gratitudinem?

II. Præclara adinventio est Christi Domini, partiendi se inter Ecclesiam triumphantem et militantem, utramque sponsam suam, ut eum utraque possideret, licet altera in cœlo, altera in terra, immenso divisæ intervallo habitarent. Scimus coram Salomone duas litigasse mulieres pro uno infante vivo, utraque contendente ipsum sibi deberi velut suum. Sapientissimus Salomon adinvenit rationem investigandi veram infantis matrem, quando allato præcepit gladio, ut divideretur infans, et pars uni mulieri et pars alteri daretur: tunc enim veræ matris prodit affectus et obtinuit filium, III. Reg. III. Verum in hoc judicio Salomon alterius postulato nequaquam satisfecit, quia orbatam filio dimisit; non enim utrique poterat dare filium, nisi dissectum. At vero quod Salomon non potuit, hoc adinvenit et potuit præstare ille, qui plus est quam Salomon. Cui dubium esse potest, ascensuro ad cœlos Christo contentionem fuisse inter Ecclesiam triumphantem et militantem? Inter patres e limbo eductos, cum Christo ascensuros, et inter ejus fideles adhuc in terra degentes? Contendebant illi sibi Christum deberi, velut regem suum, regnum cœlorum, tot laboribus partum, in possessionem accepturum, et cum ipsis regnaturum. Contra nitentur isti eum retinere in terra velut ducem militantibus apprime necessarium, quo destituti necessario debeant hostibus succumbere. Justa sane videtur utriusque Ecclesiæ petitio. Quid igitur ad hæc Christus? Adinvenit rationem plane admirandam, quæ ita se divisit,

ut maneret cum utraque integer et vivus: in cœlo cum triumphantibus naturali forma visibili; in terra cum militantibus sacramentali forma et invisibili; replicando ita corpus suum, ut simul in cœlo et in terra diverso tamen modo existeret. O sapientiam vere plusquam Salomonicam, imo divinam! O adventionem gratiosam et omni acceptione dignam! At nonne etiam militans Ecclesia habet eum in specie sensibili et visibili? Habet quidem sed in aliena, sub specie panis et vini; triumphans eum possidet in sua et propria: illa eum videt in habitu peregrini, paupere et vili; ista eum contempletur in decore regis, gloria et honore inditi: ista triumphans videt eum nunc mentis oculis, visura post resurrectionem etiam oculis corporis; illa vero militans videt eum nunc oculis corporis, tangit, gustat, sed in aliena specie, visura aliquando etiam in propria, corporis et mentis oculis, velut hominem et Deum. Typum aliquem hujus miræ partitionis Dominicæ hereditatis præmisit Isaac, quando moriens paternæ benedictionis hereditatem ita divisit duobus filiis, Jacob et Esau, pro ea contententibus, ut fere eandem ambobus daret. Jacob, dixit: *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini*: ad Esau vero: *In pinguedine terræ et rore cœli desuper erit benedictio tua*, Genes. XXVII. Quis hic non videt parem, imo fere eandem patris benedictionem? Unum id est discriminis, quod Jacob primo rorem cœli, deinde pinguedinem terræ: Esau vero prius terræ pinguedinem quam cœli rorem acceperit. In abundantia frumenti et vini agnoscimus typum corporis et sanguinis Domini, in rore cœli divinitatem Christi, in pinguedine terræ ejusdem humanitatem; in Jacob Ecclesiam triumphantem, in Esau militantem. Ergo Christus inter hos fratres et duos filios suos dividit ita hereditatem corporis et sanguinis sui, adeoque benedictionem suam, ut triumphantes quidem videant prius in cœlo mentis oculis ipsius divinitatem, visuri post resurrectionem in propria, et præterea oculis mentis etiam divinitatem ejus. Denique, sicut Isaac filio Jacob dedit hereditatem suam in Chananaea, uberi et amœna; filio vero Esau suam hereditatem in Idumæa, aspera et montosa: ita Christus quoque cœlitibus se dedit in cœlo amœnissimo; terricolis in terra laboriosa et ærumnosa. De Othone I. imperatore scribit Fulgosus, lib. VIII. cap. II. præclarum hoc regis benevolentie consilium. Litigarunt coram eo duo pro agro uno; nec erat facile discernere utri ager adjud-

candus esset, cum videretur utrique deberi. Quid egit imperator? Emit agrum ab uno, et alteri eum donavit: sic utrique satisfecit; dum uni quidem agrum, alteri pretium agri dedit. Simili ratione diremit Christus, litem seu desiderium utriusque Ecclesiæ sibi delectæ, triumphanti dedit suam præsentiam in cœlo coram aspiciendam, ac eorum beatitudinem explendam; alteri in terra per fidem intuendam, ad meritum comparandum.

III. Egregia et sapientissima adinventio est componendis ad modestiam hominibus, et certis saltem temporibus ad pœnitentiam vocandis. Memini me priori anno 1644. in cathedrali templo Seccoviensi vidisse miram industriam cujusdam et religiosissimi præpositi ad inventionem augustam, videlicet et vetustam quamdam speculam ad templi parietem editiore loco sitam, ita undique perforatam, ut bonus vigil et inspector, quidquid uspiam in templo fieret, non difficile intueri, ipse vero præsens videri non posset, et hoc in eum laudatissimum finem, quo pietas et honestas; decor et religio in domo Dei ab omnibus servaretur, metuentibus videlicet oculum pastoris gregi invigilantis. Hujusmodi est inventio Salvatoris nostri, qua tametsi a cœlo etiam videt, et coram inspicit omnia acta omnium hominum, illis tamen velut absens et longe remotus apprehenditur, adeoque parum a plerisque curatur. Quare voluit Dominus statuere ibi speculam in terra sanctam eucharistiam, in qua ipse præsens velut ex abscondito omnia nostra cernere a nobis quidem crederetur. Ita sane eum contemplata fuit sponsa, Cant. II. dicens: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*. Quis hic paries nisi panis species, quæ ipsi quasi fenestræ sunt, per quas clare nos intuetur; nobis vero quasi cancelli, qui nos impediunt, ne ipsum videamus? Qui nescit oculum patrisfamilias præsentem componere domesticos ad modestiam et labores? Et quo alio fine misit Deus Filium suum in mundum, ad perversos et contumaces vineæ suæ cultores, nisi ut ejus præsentia et conspectu ad officium reducerentur, et redderent domino suo debitos fructus? Ait enim: *Verebuntur filium meum*, Matth. XXI. Syrus vertit: *Erubescunt propter filium meum*. Quod quidem improbi illi cultores, Judæi scilicet increduli minime præstiterunt, præstant tamen Christiani, qui in templo imprimis ob præsentiam Christi in sancta eucharistia, et cum per plateas defertur, component se ad modestiam, pietatem, religiosam ejus venerationem, percutiunt pectora sua, et ipsi se commendant. Et quid mirum? Si enim pueri S. Bernardini Sennensis condiscipuli ipso adven-

tante se ad modestiam receperant et silentium, dicentes: *Silete, Bernardine, adest*. ut in ejus vita est: non recipient se mortales ad morum honestatem, timorem et reverentiam, cum norunt adesse Deum Dominum et judicem suum? Composuit certe se ferocissimis alioquin et contumax contemptor Ecclesiæ et servorum Dei, Guilielmus Aquitanie comes, schismaticus, quando eum præ foribus Ecclesiæ commemorantem Sanctus Bernardus, corpus Domini super patenam tenens, ita aggressus et affatus est: «Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput et Dominus Ecclesiæ, quam tu perseueris. Adest judex tuus, in cujus manus illa tua anima deveniet. Numquid et ipsum spernes? Numquid et ipsum sicut servos ejus contempnes?» Quid actum? «Videns comes abbatem in spiritu vehementi procedentem, et sacratissimum corpus Domini in manibus ferentem, expavit et dirigit, membrisque tremebundis metu et terrore dissolutis quasi amens solo prævolvitur. Elevatus a militibus rursus in faciem ruit, etc.» Ab eo igitur tempore ita se emendavit, et talem egit pœnitentiam, ut ad magnam sanctitatem pervenerit. Refert Guilielmus abbas, in vita S. Bernardi, lib. II. cap. VI.

IV. Præclara adinventio est, qua Christus peccatores a peccatis abstrahere et sibi devincere queat. Declarari istud potest non absimili quodam facto. Vexaverant per annos fere quadraginta Galliam Northmanni et multis cladibus affixerant. Quod huic malo remedium excogitat Gallorum rex, Carolus simplex dictus? Roloni eorum duci filiam suam, Gillam, despondet, et in dotem addit Neustriam, quæ nunc ex ipso appellatur Northmannia. Sic eum non solum sibi devinxit ad contrahendam amicitiam, sed etiam ad suscipiendam fidem et baptismum, in quo nomen accepit Roberti. Refert Gaguin. lib. V. Baron. anno 853. Cuspin. in Ludovico III. Vidit etiam rex æternæ gloriæ Christus homines quam plurimos sibi adversaturos et regno Ecclesiæ suæ damna illaturos; quare invenit hoc remedium, ut eos oblata in escam carne sua copularet sibi adeoque consanguineos faceret, ut hoc pacto inimici esse desinerent, et amici fieri inciperent, memores si in Christi sanguinem peccarent, in seipsos peccaturos: et vicissim si in carnem suam peccarent, etiam carnem Christi offenderent: ut qui ejus consanguinei sint. Unde in persona Christi Sanctus Chrysost. homil. LXI. ad pop. ait: «Volui frater vester fieri, carnem propter vos et sanguinem communicavi: vobis vicissim ipsam carnem et sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado.» Per sacramentalem communionem igitur copulatur anima nostra cum Christo, fiunt-

que nuptiæ spirituales, teste S. Ephrem, in tract. de iudicio: «Est enim anima nostra, inquit, sponsa sancta facta immortalis sponsi: nuptiarum autem copulæ divina sunt sacramenta, per quæ sancta anima jungitur sponso; dum cum timore atque tremore digne sumuntur.» Jam si sponsæ, si consanguinei Christi per eucharistiam efficimur, quidni etiam cohæredes et consortes regni ejus? Qui enim seipsum nobis in cibum dat, et cum carne nostra suam commiscet, quomodo non et regnum suum et omnia quæ possidet?

V. Ingeniosa adinventio, qua Christus sine vi compellit mortales venire ad se et cœnam suam. Compellit enim amore, et trahit ad se volentes. Qua de re vaticinatus est Oseas, cap. XI. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, et declinavi ad eum ut vesceretur*: originale Hebræorum habet: *In funiculis hominum traham eos*. Tauri enim funibus, homines trahuntur amore et beneficiis. Unde Chaldæus vertit: *Sicut moris est trahi filios delectos, traxi eos fortitudine charitatis*. Loquitur autem partim in præterito, partim in futuro; quia partim de manna v. t. quo per asperum desertum traxit Hebræos in terram promissionis; partim de eucharistia seu manna n. t. quo nos trahit per hujus vitæ asperitates ac tentationes ad cœlum. Jam vero quomodo sine vi adhibita compellit et trahit nos ad se in eucharistia? Vinculis amoris verissimi et fortissimi.

Primo, verus et fortis amor desiderat adesse et adhærere amato: quo modo Elisæus magistro suo Eliæ, qui discedere ab eo non semel jussus: *Vivit Dominus, inquit, quia non derelinquam te*, 1. Reg. II. Christus in hoc sacramento nobiscum semper manere voluit in terra, non deserturus nos usque ad finem mundi. Quantus est hic amor!

Secundo, verus et fortis amor unit se cum amato, quam maxime potest. In eucharistia Christus unit se nobis intime, in nos intrando et unum quasi ex se et nobis faciendo: quo modo desiderabant præ amore Jobum domestici comedere et in se convertere dicentes: *Quis det de carnibus ejus ut saturaremur?* Job XXXI.

Tertio, verus et potens amor communicat se suaque amato, uti Jonathas vestes suas Davidi, ut seipsum quodammodo in illo intueretur, 1. Reg. XVIII. Elias pallium et duplicem suum spiritum dilecto discipulo Elisæo: Christus in eucharistia communicat seipsum digne communicanti cum omnibus meritis et thesauris suis quos acquisivit.

Quarto, verus et tener amor solet dare placida et jucunda, uti pater filie dulciaria, equellos,

ensiculos, balistas, fides, etc. quemadmodum Jacob dilecto filio suo Josepho, fecit vestem polymitam, Gen. XXXVII. Christus et nobis in cibum sub specie panis et vini, alimenti nobis congrui et accepti dedit, ut non modo sine horrore, sed etiam cum gustu dulcedinem spirituales præberet.

Quinto, verus et magnus amor tolerat injurias ab amato sibi irrogatas, nec propterea eum deserit, uti Samson imposturas et prodiones suæ Dalilæ, Judic. XVI. Christus pergit nos amare et cibare suo corpore, etiam cum a multis sæpe indigne excipitur et male habetur: quodque omnium maximum est, quærit amorem eorum, a quibus nihil commodi sperare potest, nec ulla ratione dependet; sed a quo ipsi toti quanti pendunt. Qualis hic et quam mirus amor? Quis hoc amore non trahatur ad amorem ejus reciprocum, et frequentem illius cœnæ magnæ accessum? Fratres Josephi postquam viderunt tanta sibi a Josepho fratre exhibita beneficia, resoluti sunt in lacrymas, ut scribit Josephus, in antiquit. Quid nos nisi lacrymas amore plenissimas rependemus Christo Domino?

Ergo: *Confitemini Domino et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus.*

CONCIO II.

ACCESSUROS AD S. EUCHARISTIAM, QUALES ESSE DECEAT.

I. Decet esse pauperes et famelicos. — II. Decet esse debiles. — III. Decet esse cæcos. — IV. Decet esse claudos.

THEMA.

Exi cito in plateas civitatis, pauperes ac debiles, cæcos et claudos introduc huc. Luc. XIV.

Jure merito s. eucharistia cœna magna appellatur. *Magna*, qui a magno, imo summo regum Rege instituta: *magna*, quia magno Christianorum orbi parata: *magna*, quia magno pretio sanguinis Christi comparata: *magna*, quia magnos fructus parit digne accedentibus, magnum periculum indigne sumentibus. At vero dicit aliquis: Unum ei deest, quia magnos hospites non habet. Magni enim hospites sunt principes, comites, barones, quorum tamen loco hic introducti sunt pauperes, debiles, cæci, claudi. Quales hi convivæ? Nonne magnam cœnam magni hospites decent? Verum auditores, operet nos convivas bene intueri, non sunt tam parvi ac despecti, sicut apparent. Imo vero magni sunt, et utinam nos omnes his similes essemus, futuri utique convivæ Christi etiam in cœlo. Itaque hoc ad præsens accuratius inspiciamus.

I. Accedamus velut pauperes, cum inani stomacho, et fame, primo, ita ut ab amore rerum terrenarum liberi et vacuisimus. Pauperes enim sunt, qui nihil in mundo possident, victu et amictu tenui contenti; ac per hoc mensa Christi digni ejusque capaces sunt. Hi enim æstimant mensam ejus, et pro ea gratias agunt: unde Psal. XXI. dicitur: *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum*. Tales sunt, qui non terrena quærunt, eorumque amore impliciti sunt, nec eorum copiam desiderant, nec inopiam timent, sed cœlestia solum appetunt. Hanc ob causam Deus manna Hebræis nonnisi peregrinantibus de cœlo pluit, quamdiu scilicet peregrini in tabernaculis habitabant, nihilque stabile possidebant. Similiter nonnisi postquam defecit farina subacta, seu pasta, quam tulerant de Ægypto, durantem per triginta dies (secundum Josephum) manna acceperunt, Exod. XII. et tunc manna cum gustu comederunt, dicentes: *Manhu? Quid est hoc?* Quam bonus et sapidus cibus? Ubi in terram promissam ingressi habilem locum acceperunt, manna privati sunt. Denique, quia aliqui memores oliarum Ægyptiarum, spreto manna, pretiosissimo cibo angelorum (hoc est, quo meliorem vix angeli desiderarent) carnes appetierunt, plaga ignis correpti sunt, Num. XI. Quis enim pretiosum vinum aut unguentum mittit in vas tetro odore imbutum? Sic in hodierno evangelio ii, qui sprete cœna Domini sumptuosissima prætulerunt ei villam, boves, nuptias, a cœna exclusi audierunt: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam, cum scilicet frustra aliquando desiderabunt eam*.

Secundo, ita ut cum fame et desiderio ad eam properemus, uti faciunt pauperes: non divites, qui fere nunquam esuriunt, sed fastidiunt etiam optima quæque esculenta et poculenta. Pauperes multis et ferventibus precibus solum petunt panem, et admissi ad mensam, maximo cum gustu et appetitu comedunt, quidquid tandem apponatur, quia famelici sunt: laudant etiam quosvis cibos, licet minime exquisitos: eucharistia omnium delicatissimus et nobilissimus est, quia panis vitæ est: debet igitur cum fame et appetitu quæri. Hinc Beata Virgo canit: *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes*, Luc. I. Quanto studio pauperes inhiant eleemosynis, cum larga manu distribuuntur? Et tamen ea assumpta post paucos dies, mox iterum esuriunt. Quid si ad lignum vitæ parandum via esset, quo non modo famem, sed et mortem arcere liceret, quis eo non contenderet, vel si non posset, afferri sibi non curaret? Atqui eucharistia est panis vitæ, immortalem ac beatam

vitam nobis conferre valens, Joan. VI. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*.

II. Accedamus velut debiles cum timore et tremore; quia sicut debiles et infirmi palpitant et tremunt, sunt mites et pacifici, quantumvis prius feroces fuissent; dant omnibus bona verba, nulla arma tractare sciunt aut volunt, sed pacem et quietem optant: sic qui ad Christi mensam accedunt, amici ejus esse debent; arma si quæ habuerunt, peccata videlicet, deponere imo ea plangere et pacifice venire. Non licet ad pontificem cum gladio intrare quia et ipse gladium non habet, nec armis se tuetur. Ad imperatorem Turcicum legati nonnisi tentis utrimque brachiis introducuntur. Hac ratione Saulus, cum prius persecutor Christi, arma tulisset, Damascum pergens et Christianos persequens, cum in via prostratus, et debilitatus Christo manus dedit, ac dixit tremens et stupens: *Domine quid me vis facere?* manibus tractus Damascum sanguinis succus exponitur. Et quid eucharistia nisi sanguinis Christi succus? Ad hunc ergo sugendum nemo armatus, nemo gladius veniat. Amicus sit et quidem familiaris, qui ad mensam alterius accedit. Unde Cauticorum V. dicitur: *Comedite amici*. An nescimus quomodo Christus protestatus et turbatus fuerit, quando Judas cum hostili proditoris gladio, in pectore occultato, sine omni timore assedit ad ejus cœnam ultimam? Joan. XIII. *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, ait, quasi dicat: Ego quidem summi amoris cœnam vobis exhibeo; verum ecce hostis unus mensæ assidere audeat. Languere etiam præ amore et corruiere deberemus, sicut sponsa, quando introducta in cellam vinariam sponsi, viribus deficiens dicebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cantic. II. quemadmodum et non paucis sanctis contigit post sumpcionem eucharistiæ, uti Sancto Francisco, Dominico, Xaverio, etc. considerantibus Christi in eucharistia, amorem, bonitatem, liberalitatem, misericordiam, sapientiam, humilitatem, potentiam.

Secundo, sicut debiles, cum incedunt, baculo se sustentant: sic qui ad Christi cœnam accedunt, ubi, quod in ipsis erat, fecerunt ad purificandam animam, cum baculo piæ fiduciæ, ad ipsum pergere debent, innitentes non suæ dignitati ac justitiæ, sed humanitati et benevolentiam Christi, nos ad se vocantis. Quando Joseph, Ægypti princeps, manifestavit se fratribus suis, primo quidem territi sunt, ob scelus in eum admissum, nec poterant ei respondere. At quando humanissima voce dixit: *Accedite ad me*, accesserunt prope, et excepti osculo, ausi sunt ei loqui; postquam scilicet jam deflissent peccatum,